



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Stella Matvtina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

apprehendes, ne patiare me in pie cœp-
tis desistere; à lapsu custodi, per illa mi-
sericordiæ viscera, quæ portauerunt æ-
terni Patris filium, trahere me in sinum
maternum, vt requiescam in sæcula.
Quæ in Cœlis coronata triumphas in
omnem æternitatem. Amen.

STELLA MATVTL-

N. A.

L.

HÆc certa solis nuntia, eundem
breui oriundum testatur. lætum
astrum, toti Orbi, tenebris im-
merso, gratam lucem promittit. Quod
de Esther Scriptura dicit, a hoc magis
gloriosæ Virgini competit. *Iudeis autem
noua lux oriri visa est, gaudium, honor, &
tripudium.* fulgor enim huius lucis tene-
bras fugauit, rebusque iam color redijt,
vultu nitentis syderis, vt canit Ecclesia.

Per

a Esth. 8.

Per hanc enim homines opera Dei, & magnalia eius agnouerunt, vt ait Cyril-
 lus. *a* Vere ergo Maria quasi stella ma-
 tutina in medio nebulæ. *b* Hanc no-
 stram matutinam stellam vidit Abra-
 ham in tristi Limbo, & gauisus est. Vi-
 dit & Elifabeth in montanis, & excla-
 mauit, *Vnde mihi hoc? vt Mater Domini*
veniat ad me? Vidit Ioannes in vtero, & exul-
tavit. Ecce quomodo visa hac stella
Montes exultarint sicut arietes. Hæc stella
 lucere cœpit, quam primum Virgo An-
 geli verbis credidit, & voluntati Dei hu-
 millimè se tradidit. Illo temporis mo-
 mento dixit Deus *fiat lux, & facta est,*
lux, ibi orta est stella ex Iacob. S. Bern-
 hardus, *ipsa,* ait, *c est nobilis Stella Iacob, cu-*
ius radius vniuersum Mundum illuminat, cu-
ius splendor præfulget in supernis, & inferos
penetrat; terras etiam perlustrans, & calefa-
ciens magis mentes, quam corpora, fouet vir-
tutes,

G 4

a Orat. 6. in Nestorium.*b* Eccli. 50.*c* Hom. 2. super Missus.

tutes, excoquit vitia. Hæc solem iustitiæ præsentavit Simeoni, & Annæ viduæ in templo, optatum *lumen ad reuelationem gentium.*

2.

Materia cœlorum iuxta antiquos Philosophos est incorrupta. eadem est Stellarum, sed eo nobilior stellæ quod capax luminis, à Sole illustretur, & nobis appareat lucens, & ardens. Beatissima Virgo, stella nostra matutina in ipsa immaculata conceptione à Sole iustitiæ singulariter illustrata, toto vitæ suæ decursu, nec vi tribulationum frangi, nec labe peccati inquinari potuit.

3.

Stella quo ad figuram nobis rotunda apparet, quæ secundum Mathematicos figura perfecta, & capacissima est. Ita stella nostra Matutina omnium donorum cœlestium capacissima, à Gabriele Archangelo, *Aue Maria, gratia plena, salutatur.*

4. Stel-

4.

Stella radiat, micat, allicit in sui admirationem. Ita Beatissima Virgo quem non rapit in admirationem & amorem sui? *quia fecit ei magna qui potens est.* Insigne orbis astrum, & plenum consolatione.

5.

Stella in tenebris fulget. Ita nostra stella matutina, in Legis antiquæ tenebris luxit, ante natum Christum, plena Deo, varijs Virtutibus luxit: cum suo dilectissimo filio inter idololatrias in Ægypto, in Iudæa inter hostes & persecutores, in passione & morte eius, dum lux Apostolorum occumberet, ipsa luxit post mortem filij, in primitiua Ecclesia luxit, vnicum solatium primorum Christianorum.

S. Bernhardus de hac re ita scribit: *Sicut Stella de die latent, noctu lucent: Sic vera Virtus, sæpe in prosperis non apparet, eminent in aduersis.*

G 5

6. Stel-

2 In Cant. Serm. 27.

6.

Stella, quoad situm, est altissima, & à terra valde remota. Ita Beatissima, Virgo, (vt taceam de iam assumpta, & coronata in cœlis,) certè ab ipsa conceptione, à prima inquam sanctificatione, vsu rationis prædita, altissimum mysterium SS. Trinitatis cognouit, & alia arcana, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit. Quin & in meditationibus suis sæpius in cœlum rapta, ad tempus, creditur, & vidisse quæ non licet homini loqui.

7.

Stella in se magna est, parua tamen hominibus in terra apparet: Sic vel ipse Sol, à rusticis æstimatur rotæ magnitudinem non superare: Ita Beatissima Virgo à Iudæis paupercula vxor fabri iudicabatur. Quis Dei Matrem, Matrem simul & Virginem, sanctitate ipsis Angelis superiorem, cœli Reginam, totius Orbis Patronam credidisset?

8. Stella.

à Rupert. in Cant. lib. 3.

Stella licet stare videatur, cursum tamen habet velocissimum, eumque constantem. æqualibus punctis fertur, & mouetur. Sic Beatissima Virgo non tantum Cæsaris Augusti edicto paruit, vt etiam *pregnans à Nazareth in Iudeam ascenderet, a* & se subditam cum Iosepho profiteretur; sed vniuersæ Legis sacræ obseruantissima, ad festiuitates Hierosolymam ascendit; b dilectissimum filium suum circumcidi voluit, & impletis diebus purgationis, eum in templo presentauit, & tanquam primogenitum præscripto munere redemit, & se purgandam obtulit. c

Taceo qualem progressum in Virtutibus, & meritis fecerit; quia post primam sanctificationem per omnes & singulos actus humanos, quos in Deum continuò referebat, magnum augmentum charitatis, gratiæ & gloriæ meruit:

G 6 Ita

a Luc. 2.

b Exod. c. 23. & c. 34. c Leuit. 12.

Ita per sexaginta & eo amplius annos
semper incrementum sumpsit in gratia,
& meritis, adeo vt aliqui insignes Theo-
logi probabiliter asserant, Beatissimam
Virginem, plures gradus gratiæ, & cha-
ritatis esse consecutam, quam sint in
omnibus Sanctis hominibus, & Ange-
lis, etiam collectiue sumptis; & quod
consequens est, si mente concipiamus
ex multitudine gratiarum Sanctorum
omnium, vnam intensissimam gratiam
confurgere, adhuc intensiorem gratiæ
huius Virginis non adæquaret. Ecce er-
go quam hæc Stella nostra Matutina,
constantem in Virtutibus, ac meritis
cursum tenuerit.

9.

Stellæ, occulta quadam virtute, terræ
viscera penetrant, & mira operantur,
quorum causas multi Philosophi red-
dere nesciunt, sed stellis & cælorum
occultis influentijs, quas vocant, adscri-
bunt.

Alij sagaciores, nihil se nescire pro-
fitentes

fitentes, omniumque occultarum operationum causam aliquam comminiscentes, influentiam illam, ignorantium asylum indigitant. Nos verò animo demissiore, huius nostræ Stellæ Matutinæ occultam, & admirandam operandi vim libenter fatemur, & admiramur, ad eamque, tanquam ad ignorantia nostræ asylum, libenter confugimus, gloriam dantes Deo in operibus suis, plurimumque confidentes, in fulgentissimæ huius stellæ, Beatissimæ inquam Virginis Mariæ patrocínio, & meritis, quæ sæpe in animis hominum, occultis, & nobis ignotis auxilijs mira operatur, vt taceam ea, quæ in oculos nostros incurrunt, morbos sanando ex varijs periculis eripiendo, quæ tot miraculorum volumina, tot anathematum plaustra, luculenter probant.

IO.

Stellæ dirigunt iter facientes, & maxime in mari nauigantes. Sic Stella Magos duxit, sic Maria Maris Stella vocatur.

G 7

tur.

tur. ita inter cœteros S. Bonaventura. *a*
Quibus auxilijs possunt naues inter tot peri-
cula, transire vsque ad litus patriæ? Certe per
duo, scilicet per lignum & stellam, id est, per
fidem crucis, & per virtutem lucis, quam pe-
perit nobis Maria, Maris Stella.

Notum est illud S. Bernhadi. *b* *Si in-*
surgant venti tentationum; si incurras scopu-
los tribulationum, respice stellam, voca Mari-
am: Si iactaris superbia vndis, si ambitionis, si
detractiõnis, si emulationis, respice stellam,
voca Mariam: Si iracundiæ, aut auaritiæ, aut
carnis illecebræ nauiculam concusserit mentis,
respice ad Mariam. &c.

Et alio loco: *c* *Ipsam intuens (scilicet*
Stellam) non deuias; ipsam rogans, non despe-
ras, ipsam cogitans non erras: ipsa protegente
non metuis; ipsa duce non fatigaris; ipsa pro-
pitia, ad portum peruenis.

Et rursus alibi: *d* *Tolle Mariam hanc*
Maris

a *In speculo B. V. cap. 3.*

b *Hom. 2. super Missus.*

c *Serm. 20.*

d *De Natiu. Virg.*

Maris stellam, maris utique magni, & spacio-
si, quid nisi caligo inuoluens, & Umbra mor-
tis, & densissima tenebrae relinquuntur? In
hunc sensum quædam habet S. Thomas
opuscul. 8.

PLÆ CONSIDERATIO-
N E S.

I.

Sicut Stellæ, ratione nobilis & incor-
ruptæ materiæ, aptæ sunt, ut à Sole,
omnis luminis fonte, lumen accipi-
ant, & splendorem: ita coneris animam
tuam præparare, ut sit capax luminis
cœlestis, inspirationum, & gratiæ Dei.
Quemadmodum enim materia crassa,
impura, impolita, ut lignum, ossa, later,
& similia, etiam à Sole illuminata, non
splendent, sicut vitrum pellucidum, cry-
stallus, speculum politum, &c. Ita in ani-
mam maleuolam non ingreditur sapientia,
non illustratur lumine cœlesti, & donis
gratiæ. a

2. Co-

a Sap. 1.

2.

Coneris etiam fulgere virtutibus, & bonis exemplis, vt alios rapias in admirationem, & vna tecum dent gloriam Deo. Illumina etiam alios doctrina, veram ad pietatem, & omne genus Virtutum viam monstra, memor illius promissionis, *a qui erudiunt alios, fulgebunt tanquam stelle, in perpetuas aternitates.*

3.

Quantum distat cœlum à terra, tantum tua desideria à terrenis abstrahe. quid tibi cum luto? de limo quidem factus es, sed inspirauit in te Deus spiraculum vitæ; ad illum tota intentione festina, ex cuius inspiratione consistis, inquit S. Ambrosius. *b celsiore loco à Deo collocatus es: que sursum sunt sapias, iuxta consilium Apostoli, non que super terram. Cum Deo, Angelis, & cœteris Sanctis, res tuas age, annos aternos in mente habeto.*

Con-

a Daniel. 12. b In Psal. 118.

4.

Contemne sermones, & iudicia hominum, si te paruum æstimena. errat acies hominum, qui stellas, ipsa terra maiores, paruas æstimant. *Tantus es, quantus coram Deo es. Tibi pro minimo sit, vt ab homine iudiceris.*a.

5.

Tene constanter cursum tuum. Sta, & curre: Sta firmus in Lege Dei, in sancto tuo proposito; Curre autem magnis passibus de virtute in Virtutem; stare in hoc cursu, deficere est. Sic curre vt comprehendas, vt cum Apostolo dicere possis, *cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* &c.

6.

Etsi nubes intercedant, procellæ, & tenebræ ingruant, quæ te caligine aliqua inuoluant; tu tamen internum tuum lumen, à Sole iustitiæ tibi communicatum,

a 1. Cor. 4.

b 2. Tim. 4.

1

150 LITAN. LAVRET.
tum, serua; confortare, & sustine Domi-
num. post nubila Phœbus.

7.

Roga hanc stellam, vt influenza qua-
dam occulta, operetur in corde tuo,
Virtutes plantet, desideria cœlestis pa-
triæ excitet, amore Dei inflammet.

a 2. Tim. 4.

ORATIO.

O Illustre sidus, & gemma cœli, dul-
cissima Virgo Maria, cuius vita in-
clyta cunctas illustrat Ecclesias,
quæ à Sole iustitiæ tota illustrata, vni-
uerso terrarum orbi fulges, in solatium
maxime eorum, *qui in tenebris, & umbra
mortis sedent.* Ah illabere in tenebrico-
sum cor meum, fove potentibus radijs
tuis, operare omne bonum in eo, illumi-
na, immuta, & molle fac ad faciendas iu-
stificationes Dei mei, lique scat radijs di-
uini amoris. O Stella Maris, ô optatissi-
ma errantium, & desolatorum Cynosu-
ra,

ra,

STELLA MATVINA. 151

ni-
ua-
10,
pa-
ra, dirige cymbulam animæ meæ, varie
fluctuantem, vt horrida, & periculosa
fata in huius Mundi tenebris cauere, &
te duce, ad securum animarum nostra-
rum portum feliciter peruenire valeam.
Quæ in cœlis coronata triumphas in
omnem æternitatem, Amen.

REGINA ANGELORVM,
PATRIARCHARVM, PROPHE-
TARVM, &c.

ul-
in-
ias,
ni-
um
bra
co-
dij
mi-
iu-
di-
ffi-
su-
ra,
ECclesia Catholica Matrem Dei, in
canticis suis Reginam frequentif-
sime salutatur. Ave Regina cœlorum,
Ave Domina Angelorum. Regina
cœli lætare. Salve Regina. Mater mi-
sericordiæ &c. Quam Antiphonam S.
Bernhardus explicans ita scribit: *Maria*
iuste Regina Mundi, & Regina cœli dicitur,
per quam vtriusque Creator, & Rector ge-
neratur. Regina, glorie nomen, & honoris,
magnificentie, & decoris, dulcedinis & pie-
tatis.